

B. A. II, 122.

h. 29, 28.

X 1880 639

M. A. V. W.



AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN INCLYTA AD ALBIM ACADEMIA,
PRÆSIDE,

VIRO PRÆCLARISSIMO, AMPLISSIMO AC PRÆCELLENTI,

DN. M. CHRISTIANO Röhrenseer
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ADJUNCTO
MERITISSIMO, &c.

EX POLITICIS DISPUTABIT PUBLICE

De

COMITIIS

AUCTOR

GEORGIUS RUDOLPHUS à Selmnitz/
EQVES THURINGUS.

AD DIEM XIII. MARTII,

IN AUDITORIO MAJORI,
HORIS ANTE-MERIDIANIS.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS MEYERI, M. DC. LXXI.

01.



510.

1774. 4. 11. 1774

AUCTORITATE

ACADEMIAE PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE ALMA MATERIA

PRaeside

PRO Praeside Honorabilissimo, Imperatori ac Praesidentibus

DAVID CHRISTIANUS

Facultatis Philosophicae Praeside

EX POLITICIS DISCIPLINIS





DIVINI NUMINIS AUXILIO ET SUFFRA-

giò imploratò, benè universa geruntur ac competenter.

Nov. 6. pr. c. non observetis 16. in fin. XXVI.

qv. 7.



nihil unquam in Republ. dulcius,
 nihil existere suavius, utiliusvè potest, mu-
 tuò Principem inter subditosqve amoris
 vinculo, quippe quò ipsò & Principis ex-
 splendescit clementia, & subditorum
 quàm maximè obsequium paratur; sine quibus vastum
 illud civitatis corpus aut dissolvitur penitus, aut non nisi
 pessimè habet. Ecquis enim nescit, clementiam esse pro-
 priam eorum virtutem, qui ad gubernacula rerum se-
 dent? *Hæc firmum & stabile reddit regnum; Hæc in quâ an-*
cunq; domum pervenerit, eam felicem tranquillumq; præsta-
bit. SENECA, lib. 1. de Clement. cap. 5. Qui benignitate atqve
 clementiâ Imperium temperavere, his candida & læta o-
 mnia fuerunt; etiam hostes æquiores, quàm illis cives.
 Hæc tam fœcunda & felix mater non nisi pulcherrimam
 prolem, obsequium subditorum, ex se gignere potest;
 quàm non aliâ profectò viâ conciliare sibi Princeps valet,
 quàm si cum matre ipsi benè conveniat. Ut errent pro-
 inde, qui existimant, tutum ibi Principem esse, ubi nihil à
 Principe tutum, aut, ut clarius dicam, odium subditorum
 amorì erga Principem esse præferendum. Securitas
 enim securitate mutuâ paciscenda est, atqve præstat, amo-
 re subditorum Principem esse cinctum, quàm in altum

A

edi-



572
editis arcibus, quàm in ascensum arduis collibus emuni-
tum vivere atque instructum. Salvum in aperto Clemen-
tia Principem præstabit, cum majore semper in eos pro-
pendeamus affectu, qui languidâ regnant manu, & remis-
sûs imperanti meliùs pareamus. Etenim naturâ contu-
max est humanus animus, atque in contrarium atque ar-
duum nitens, sequitur facilius, quàm ducitur. Quò magis
Principi danda opera est, ut, *amorem quærat apud popula-
res, metum apud hostes. TACIT. II. Annal.* Nec verò vinci se
patiatur felicitate Princeps, ut eâ elatus, in subditos tyran-
nidem exercere velit. Hanc enim non immeritò mere-
triculæ simillimam dixeris, quæ neminem amat, dum a-
matores perpetuò mutat; aut Saltatrici, quòd in eosdem
recurrat circulos, & quæ confecit, celeriter retexat. Meritò
his ALEXANDRIS cum Scytharum Legato acclaman-
dum est: *Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est,
nec invita teneri potest, CURT. l. 7. cap. 8.* Quòd si benè mo-
nenti non gerat morem, sed nimiâ felicitate ebrius, fan-
gvine civitatem, odio sui cives impleat, sciat, *nullum re-
gnum esse, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & domi-
nus, & carnifex. Nec magnis ista intervallis divisa, sed horæ
momentum interesse inter solium & aliena genua.* SENECA
de Tranq. an. c. 11. Scilicet nullum morosius animal homi-
ne est, nullum majori arte tractandum. Nisi leni pop-
pysmate subinde mulceatur, facilè jugum excutit, fero-
ciq; calce rectorem petit. Quà de causâ tutius est, cavere
subditorum odia, leniqve imperio amorem eorum inse-
prolicere: Munitus etenim Imperans parentium amore,
ad ipsius amoris similitudinem, qui inermis quidem ince-
dit, & dormit tamen loricator, sat vivit securè. Nec potest
firmiores habere muros, quàm benevolos subditorum a-
nimos,

513

nimos, testante *GVAVARA in Horol. Princip. l. 3. c. 30.* Nec
minori Remp. maculat infortuniò mutua subditorum si-
multas atqve disensio; cùm Respubl. hócce venenò a-
sperfa, litibus nunquam sit purgata, sed tractus quilibet
propriò instinctu ad criminationes mutuas & calumnias
deveniat, concivem sæpius odio plus quàm Vatiniano pro-
seqvens, & ad struendas insidias paratus. Deniqve ut pau-
cis plura complectar, diffidendo lacerant Remp. ac brevi
temporis momento parant jacturam eidem, multis po-
steà seculis vix restaurandam. Quibus malis ut ante po-
natur obex, quàm Reipubl. viscera inficiant, haut effica-
cius adhiberi remedium potest, quàm si Princeps, crebros
agendo conventus, stabiliat amorem, odia releget, inqve
iis de bono publico promovendo, communicatò consiliò
deliberet. Impedit enim eò ipsò, ne cives sibi ipsis vide-
antur peregrini, & ignoti vivant invicem illi, quibus Prin-
cipe regi sub uno datum est. Adde, quòd subditorum qui-
libet de fideli consiliorum communicatione lætatus, sum-
mò amoris affectu sanctam semper Principis veneraturus
sit Majestatem, nec summa quævis pro eo subire pericula
recusaturus. Ultimum itaqve præsidium est in fideli con-
siliarum communicatione; cujus quoque Veteres non i-
gnaros fuisse, antiquissimæ historiæ monumenta docent.
Romæ enim erant olim Comitia Calata, in quibus corni-
cine totus populus convocabatur; Et Julius Cæsar pri-
mùm hoc jus votandi cum populo divisit, quod cùm per
civilia bella in desuetudinem abiisset, ab AUGUSTO ei-
dem fuit redditum. Spartani, populi convocatione ha-
bità, non calculò, sed acclamationibus decernebant, uti de
eo ipso *Thucyd. lib. 1.* Hodiè quoque Hispanis Gallis, Anglis,
Polonis, aliisque populis suos esse conventus, quis igno-
rat?

514.
rat? Quum verò nostris moribus hæc consiliorum com-
municatio fieri soleat, comitiis solenniter indictis, quæ-
dam de iis disferere fixum est. Quod ut felici fiat auspicio,
DEUM Opt. Maximum supplex veneror.

§. I.

NEqve puto, quòd quispiam sit in dubium vocaturus,
fundamentò sat firmò innixam comitiorum antiqui-
tatem. Ipse enim sapientissimus Legislato, Deus Opt.
M. in Republ. statim suâ constituit, ut Moses sæpius tubæ
sonitu populum convocaret, deqve arduis negociis cum
eo ageret. Et hæc eadem de causâ, uti apud alias gentes,
ita etiam apud nostros Germanos, omnium Imperii ordi-
num Generalem convocare Senatum, ab antiquissimis re-
trò seculis fuit receptum. Siquidem si ordinem proce-
dendi sub Imperio Caroli M. ut convocationem, proposi-
tionem, secessionem, consultationem & conclusionem,
accuratiùs aliquantulum inspiciamus, veritate convicti fa-
tebimur, non minùs tùm temporis, quàm nostro seculo
ordines ad comitia requisitos fuisse. Cùm itaqve hoc
comitiorum jus veneranda antiquitas tacitò approbârit
consensu, sicqve ejus utilitatem commendârit posteritati;
rejiciendi sunt meritò illi, qui Principum instillant animis,
eò ipsò lædi Majestatem, eorumq; libertatem coarctari, nec
constare rationem, quàm si, ut TIBERIUS dicere solitus
est, nulli reddatur. Sed nobis persuasum potius est, prin-
cipem, dum communicato agit consiliò, venerandam
Statibus reddere majestatem, & insuper hóc modò de
illis omnibus, quæ ad communem Civium salutem, atqve
totius Imperii utilitatem spectant, rectiùs informari. Sub-
diti quoqve, animadvertentes, Principem suum graviora
com-

515

communi ex consilio agere, eò promptiùs decretis ejusdem obsequium exhibent, & si durius quicquam statuere necessitas flagitet, æqviori tamen ratione idipsum, quia ordinum consensu approbatum, æstimare consueverunt. Semper enim justa ac æqua esse putantur ea, quæ plurium consiliò geruntur. Denique & illi, qui Principi sunt nimis chari, atque quorum nutu maxima geruntur negotia, quum aliàs singulorum querelæ horum insidiis rarò Principis aures attingant; in comitiis verò à summis infimisque totius Imperii gravamina proponantur liberè, & à Principe clementer audiantur, hoc melius continentur in officio: cum hâc ratione Principis notitiam facta eorum illicita vix possint effugere, atque statuum censuræ subjectæ sint, quo metu ab injuriosis subditorum presuris detinentur.

§. II.

Toties inductâ Comitiorum mentione, antequam progressum ad reliqua faciam, de eorundem Etymologiâ sollicitus ut sim, ratio postulare videtur. Comitium autem à coëundo, vel, ut veteres dicebant, à comeundo dictum sunt, quòd populus coire his, & in unum locum convenire soleret. *NIC. GRUCH. de Comit. Rom. in prefat.* Comitium verò locus est, in quem populus suffragiorum causâ conveniebat. *CALVINUS Lexico Jurid. ad verbum Comitium.* Neque sicò adeò pede prætereunda eorum Synonymia. Comitiorum equidem vocabulum ignotum est vetustis Germanorum Scriptoribus, siquidem à translato ad Carolum M. imperio, vix apud ullum, usque ad Maximil. I. Imperatorem, quo purior rediit sermo, reperitur. Hoc autem ipsum vocabulum per Curiam atque Concilia Imperialia non rarò designari, in Imperatorum tam constitutio-



tutionibus, quàm monumentis Germanorù Historicorum animadvertes. Lata enim dicitur ipsa A. B. in Curiis Norinbergensibus atq; Metensi, *in proœm. cap. 12. §. 1. cap. 24. de Bulla. Et RADEVICUS lib. 1. cap. 12. de gestis Frider. I. Ratisbona* (inquit) *curiam magnâ in frequentiâ Principum agit. Vocantur & Concilia Imperialia: sic enim ATMON. l. 14. c. 30. Concilio Rex in aureo tribunali sedens præerat. Cui adstipulatur DUBRAV. lib. 15. histor. Bohem. inquit: Redierat in Germaniam FRIDERICUS Caesar, indicto totius Germanie concilio Argentorati. Nec semel quoque per Placita Comitia indicari, historicorum non pauci affirmant, ex his verò cum primis HINC MAR. Remens. Archiep. Epist. 3. cap. 29. qui singulis annis apud veteres Francorum Reges & Imperatorem duo placita habita refert. Et REGINO Abbas Prumensis libr. 2. Chron. asferit, quòd anno 793. Rex Popinus placitum suum habuerit in Nivernis. Sed ne hâc in parte nimis prolixus videar, reliqua non attingo Comitiorum Synonyma, id unicum adhuc superaddendo, quòd comitia Dietas dicere antiquitus sit receptum, prout BESOLDUS in Thes. Pract. sub voc. Reichs=Tag / asferit. Illud ad evitandam Homonymiam addi meretur, non quemlibet populi conventum comitiorum venire nomine Romanis scriptoribus; sed illum demum, qui indictus fuit ad ferendam de aliquâ re per suffragia sententiam. JOH. ROSIN. l. 6. Antiquit. Rom. c. 1. Nam & ludorum & censûs causâ universum sæpè convenisse populum, CICERO innuit, quod idem, cum lustrum conderent Romani, factum testatur LIVIUS l. 1. In concionibus quoque nonnullis, præsertim nundinarum diebus, frequentiores fuisse congressus, quàm ipsis comitiis, GRUCHUS nos edocet l. c. circa finem.*

517
§. III.

Ex his jam satis perspicuum esse arbitror, quid comitiorum nomine inpraesens intelligamus; quæ an in omni Republicâ habeant locum, non ineptè disquiritur. Pro affirmativâ ejusdem quod sit decidendum, puto, graduum modò si observetur differentia, siquidem in Oligarchiâ, Democratiâ & mixtâ Republicâ in intensiori gradu, ac in Monarchiâ, jus comitiorum viget. Ratio est, quia major in Democratiâ, Oligarchiâ ac mixtâ Republicâ civium æqualitas, quàm in Monarchiâ, major quoque est civilium bonorum communio. Per hanc verò communionem pro Reipubl. qualitate vel omnes, vel plures de Reipubl. summâ participant, ideoque quòd in his intensiori gradu conventus publici obtineant, dubitatione haud eget. Porro quoque ex parte Monarchiæ dicendum est, quòd Rex, qui absolutè imperat, non tam deliberet, quàm jubeat, quin sapius simulando tantum statuum consiliis utatur, quod tum AUGUSTI, tum quoque TIBERII comprobatur exemplum, de quibus TACIT. lib. I. Ann. cap. 15. *Tum primum è campo comitia ad Patres translata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant, neque populus ademptum jus questus est, nisi in amore.* Et SVETONIUS in vitâ AUGUSTI ita refert: *Comitiorum quoque pristinum jus reauxit, ac multiplici pœnâ coërcito ambitu, & Scaptensibus tribulibus suis die Comitiorum, ne quid à quoquam Candidato desiderarent, singula millia nummum à se dividebat. Relinquebat itaque umbram & simulacrum pristinae Reipubl. quò tutius & liberius libertate frueretur. In principatu autem limitato, cum non ex proprio arbitrio, sed statuum potius consilio gravioris momenti res tractandæ veniant, Comitia quoque majus pondus obtinent.*

§. IV.

§. IV.

Quibus ita stantibus, indagandum nunc porro est, quænam sit causa efficiens principalis Comitiorum? Quæ certè nulla alia est, quàm MAJESTAS. Quum enim in comitiis plurimum momenti sit, sivè ad evertendam, sivè conservandam Rempubl. imò quasi fundamentum Reipubl. existant, nemo, nisi qui Majestatem habet, comitia indicare valet; quippè in cujus tanquam nauceri manu non tantùm navem, sed & gubernacula omnia esse oportet, totam aliàs navem pesfundatura, si contra nutum nauceri huc vel illuc à quovis dirigi possent. Quare majestati asferenda hæc provisio est, quæ Reipubl. statum, sive tranquillitatem respicit, & ingens illud Imperium in caput præsupponit. Solus etenim imperans convocat cives, comitia cogit, atque in ejus manu est, compellere inobedientes. *ARNISÆUS de J. M. l. 2. c. 4. HORN. lib. 2. de Civitate c. 2. n. 14.* Cæterùm Comitiorum jus aliter se habet in Republicâ simplici, aliter in mixtâ formâ. Ibi vel uni competit, vel paucis, vel penes totum populum residet. Quibus verò in mixtâ formâ tribuendum sit, ex conventionibus & capitulationibus, quibus illa innititur, omnium optimè dijudicatur.

§. V.

Hoc dum dicimus, Pontifici Romano nullum in COMITIA concedimus jus, nec concurrentem ad eorum indicationem auctoritatem. Contrarium quidem statuere coguntur Papalis Monarchiæ propugnatores, qui Pontifici in Reges omnes ac Principes potestatem largiuntur. Sed cùm indicendorum conciliorum jus sit effectus majestatis, quam Papa non habet in alienâ Civitate, perperam quoq; hoc axioma superbit. Et quanquam Papalis astus id juris

519

ris in Imperio Germanico ad se transferre non semel tenta-
verit, nihil tamen unquam obtinuit. PAULUS IV. Pon-
tifex proposuit quidem FERDINANDO I. Imperatori con-
ditiones, in quibus & hæc reperitur, ne in scio Pontifice
Comitia, Concilium, aut ullum conventum indiceret,
GOLDAST. part. 5. in den Politischen Reichshändeln/1c.
Sed mors dicti PAULI IV. effecit, ut hæc omnia presum-
erent, atque ille partus Papalis, ventris sui conditionem se-
quutus, sepulchro servandus traditus, in posterum quie-
sceret. Et miror equidem, quod ille PIUS Pater antecesso-
ris sui PII II. exemplò non sit cautior factus, qui parem
ferè expertus fortunam est. Quum enim jus convocan-
di Electores ad novi Cæsaris electionem in sedem Papa-
lem transferre intenderet, & eum in finem Moguntinum
ArchiEpiscopum DIETHERUM, Comitem Isebergicum,
juramento obstringere vellet, ne unquam, nisi assentiente
Pontifice Romano, Electores convocaret, Archi-Episco-
pum id ipsum renuentem anathemate percussit. LEHMAN.
l. 7. in Chron. Spirensi: Sed brutum fuit fulmen, vana & si-
ne viribus extitit ira. Mucro enim acutissimi gladii illius,
inquit LISNERUS, ab Imperii jugulo plerorumque Electo-
rum prudentiâ, præsertim verò Moguntini Antistitis in-
dustriâ, FRIDERICI Palatini fortitudine, & LUDOVICI
Divitis Bojariæ Ducis ope rejectus est, *in Oratione de OT-
TONE III.* Atque sicuti Moguntino convocandi præro-
gativa in hunc usque diem salva est; ita jus COMITIA in-
dicendi Imperio sartum tectumque mansit. Et hocce
jure convocationis Statuum ad COMITIA denegatò, de-
negatur Pontifici multò magis id ipsum, quod habeat
potestatem deponendi Principes, aliosque substituendi. Val-
dè proinde errat ROBERTUS BELLARMINUS, qui indi-
directam in temporalibus Pontifici assignat potestatem;

B

si qui-

520-

siquidem nulla ipsi extra Romanam ditionem, cujus tamen etiam malæ fidei possessor est, multò minùs verò in Imperii status potestas competit, quia nullam in eos habet jurisdictionem, ac ita Statuum tam convocatio, quam eorum depositio est Papæ denegata, Jura enim Majestatica ad Papam non pertinent, neq; eidem in alienis Territoriis juris quidquam competit. Conf. Magnificus DN. ZIEGLERUS, Jctus consummatissimus, Patronus ac Hospes perpetim venerandus *in Comment. Jur. Can. ad LANCELL. lib. 1. Tit. 2. p. 9. inf. & lib. 2. Tit. 20. p. 549. inf.*

§. VI.

De cætero, cum jam firmiter satis evicerimus, nemini, qui non confors majestatis est, habendorum in civitate comitiorum jus esse proprium, disputare placet: An liceat Principi absolutè absque statuum consensu, tempus ac locum *COMITIUM* denominare? Enimverò si absolute gaudeat Imperio, eà de re nullum est dubium; Et olim id ipsum in Imperio nostro in usu quod fuerit, clarescit satis, si historiarum inspiciamus monumenta. Sic enim *EGINHARD. in vitâ CAROLI M. inquit: Congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni & Imperialis nominis heredem LUDOVICUM filium constituit.* Et clarius hoc apparet ex *SIGEF. PRESBYT. Misnens. lib. 2. Epitom. Anno 1302. cujus hæc verba extant: Factâ pace inter Regem Romanum ALBERTUM, & Archi-Episcopos supra dictos, quos idem Rex multum humiliaverat, statim ipse Rex, factò edictò, omnibus Principibus præcepit, ut ad curiam suam in Festo SEBASTIANI Merseburgi celebrandam convenirent.* Par quoque exemplum hujus Imperatoriae libertatis exhibuit in habitâ suâ reformatione Anno 1242. *FRIDERICUS III. Ibi: Drumb insonderheit her zu uns zu kommen geboten und*

521

und geheissen haben. Sed quum jure ed freti Imperatores
COMITIORUM numerum citra aequitatem ac necessitatem
multiplicarent, Electores ex re fore arbitrati sunt, si hanc
Imperatoris potestatem limitarent. Hac lege postea CA-
ROLUM V. obstrinxerunt, ut sine Electorum consensu im-
posterum COMITIA indicere, Imperatori vix ac ne vix qui-
dem liceret. Hancque legem tum temporis sancitam,
hucusq; sanctè ab Imperatoribus habitam, atque semper
fuisse observatam, Recessus Imperii plus vice simplici
testantur. Etenim in R. I. Ratisponensi d. An. 1576. §. 4.
Ibi: Als haben wir / mit Racht und Belieben unserer
und des Reichs Chur Fürsten / nicht ümbgehen mö-
gen / eine gemeine Reichs-Versammlung auszuschrei-
ben. Hinc R. I. Ratisponensis de Anno 1598. §. Als aber
zwischen / ibi: Der ohalben wir denn diesen Reichs Tag
mit Vorwissen und Bewilligung gedachter Chur-
Fürsten anhero ausschreiben und ankündigen lassen.
Et R. I. Ratisponensis d. Anno 1603. §. hierümb und die-
weil / ibi: Vnd demnach dieselbe (Chur-Fürsten) solch e
Gefahr und Noth selbst dafür angesehen / daß bey ge-
meiner Reichs Versammlung darvon berathschlaget
und geredet werden müsse / und also zu Ausschreibung
eines Reichs-Tages Ihre Einwilligung gethan / Ist
dieser und anderer mehr hochwichtigen Bewegnissen
wollen ein Reichs-Tag ausgeschrieben worden. Ex
his itaque & plurimis aliis, ob brevitatis studium omitten-
dis, cuilibet animadvertere licebit, quod Imperator sin-
gulos Electorum, antequam futurorum COMITIORUM diem
edicat, per literas consulere soleat, ut si COMITIORUM ne-
cessitatem involvi censeant, suo id consensu declarent. Et
quamvis hujus obscuram censeat originem BERTRAM de
Comit. Sat clara tamen vigore R. I. de Anno 1518. in pr. esse

522
videtur, quippe qui tempore adhuc MAXIMILIANI I.
Imp. Electorum consensum non necessarium fuisse, argu-
mento principii declarat. Demum tempore CAROLI V. per
Capitulationis art. 12. res eò deducta fuit, daß Kays. Maj.
ohne Wissen und Willen der Chur-Fürsten keinen
Reichs-Tag ansetzen oder ausschreiben wollen. Hicce
addendus quoque GOLDASTUS in Polit. Imperial. part.
12 fol. 609. §. similiter, ibi: comitiales conventus absq. scitu &
voluntate Electorum non indicemus. junct. §. si quid verò, f. 611.
Conf. LIMN. l. 4. c. 72. num. 12. Ex jam allatis itaqve patet,
per modum conditionis necessariae ad indicenda COMITIA
Electoꝝ consensum requiri. Sicuti verò per talium omis-
sionem vitatur actus: ita remoto Electorum consensu
vitiosa quoqve redditur ipsa COMITIORUM indictio. Uti
hoc constat, aus der Verschreibung CAROLI V. ap.
GOLDAST. tom. 1. Const. Imperial. part. 2. fol. 2. ibi: Wir
sollen und wollen keinen Reichs-Tag ohne Wissen und
Willen der Chur-Fürsten ansetzen und ausschreiben.
Et fol. 4. Ob aber viel gemeldten Articula und Pun-
cten einiges rescript oder Mandat zu wieder erlangt oder
ausgehen wird / das alles soll kraftlos / todt / und abe-
seyn / inmassen Wir es auch anisund alsdann / und
dann als izund hiermit cassiren / tödten und abthun / ic.
Et hancce const tutionem hactenus laudabiliter observa-
tam, animadvertimus in clausulâ illâ Recesibus Imperii
inseri solitâ: Haben auff vorhergehendem Rath / Wis-
sen und Bewilligung gemeldter Unserer und des Reichs
Chur-Fürsten nicht umbgehen mogen / eine gemeine
Reichs Versammlung auszuschreiben. Sicuti id luc dis-
simè apparet ex Recesu FERDINANDI I. Augustæ dato
Anno 1550. vers. Derowegen Wir auff vorgehabten
statlichen Rath / ic. Item MAXIMILIANI II. Ratis-
ponæ

523-
ponæ dato, Anno 1567. verk. Weil Wir aber Chur Für-
sten/Et ejusdem Anno 1570. Spiræ habito, verk. Als haben
Wir nicht umbgehen mögen.

§. VII.

Licet verò id ipsum sat luculentis rationibus mihi vi-
deatur demonstratum, quòd Statuum consensus in limita-
to & mixto Imperio ad COMITIA sit necessarius: non ta-
men puto, quod absolutè exinde possit colligi, Imperatori
loci ad locum translationem esse denegatam, cum primis
si temporis ac loci ratio id postulet. Testatur id Recessus
Coloniensis de Anno 1517. in pr. ibi MAXIMILIANUS I.
ait: Zu uns anfänglich gen Trier auff einen gemeinen
Reichs Tag erfordert und denn folgend aus treflich
beweglichen Ursachen gen Cöln verücket. QVIN & CA-
ROLUS V. proprio ductu COMITIA WORMATIÆ legitimè,
i.e. Electorum Consensu, indicta Ratisponam transtulit.
Recess. Wormat. de Anno 1545. verk. Dem allen nach/2c.
Ibi: Unser Kaysersliches Gemütthe billich bewegend die-
sen Reichs Tag erstrecken und verlegen demselben hie-
mit wissentlich/2c. Hæc atque plurima alia præjudic a
pugnant in hæc parte pro libertate Imperatoris, & insuper
ego pro certo mihi persuasum habeo, ea tantum circa ac-
cidentalibus versari; quia prorogatio seu de loco in locum
COMITIORUM translatio, non actus ipsorum COMITIORUM
multiplicat, sed tantum continuatione meorum importat,
ideoque eò facilius Imperatoris Majestati eam esse permitt-
endam. Sufficere enim mihi videtur consensus Electo-
rum necessarius, super convocationem Statuum, tanquam
actum principalem, Imperatori datus. Hoc unicum ad-
huc addo, Imperatorem e viliter agendò, nihil majestare

suâ indignum committere, si ad captandam Electorum
 benevolentiam eorum hâc quoque in parte consensu utatur.
 Et ejusmodi Imperatoriæ modestiæ exemplum RUDOLPHUM II.
 exhibuisse, testantur ejusdem literæ Anno 1611. ad Electores
 Norinbergæ congregatos scriptæ, quarum hæc verba: Zu solchen
 Ende wären Sie auch denen nach Nürnberg verordneten
 Kayserslichen Commisarij Befehl zu geben im Werck gewesen /
 daß bey dieser der Chur-Fürsten Collegial-Versammlung die
 occasion nicht versäümet / sondern entweder zu Ausschreibung
 eines neuen Reichs Tages der Consens den Herkommen nach
 erlanget / oder / da Sie die Chur-Fürsten es für gut ansehen
 würden / der jüngst verschobene wieder reasumiret werden
 möchete. *DN. D. BERTRAM. Discurs. de Comit. thes. 18. qui habetur Vol. 1. disc. de J. P. Arumæi.*
 Constat ex hisce singulis, Electorum consensum ad actum
 Principalem, convocationem putà, necessariò requiri. Fluit
 verò exinde quæstio alia, paucissimis explicanda ac
 resolvenda: An nimirum Electorum subsequens ratihabitio
 sufficiat? Et negandam esse in totum hanc quæstionem
 autumo; ratione permotus eâ, quòd ubi consensus pro
 formâ & substantiâ actûs requiritur, ratihabitio non
 sufficiat, nec quicquam ad actus substantiam operetur,
 confirmante hoc MILLERO ad RUMELINUM in *A. B. part. 2. disert. 3. th. 6. Add. lit. b.* Porro obtento
 Electorum de habendis *COMITIIS* consensu, singuli deinceps
 Status ab Imperatore conscribuntur, ac unicuique per
 peculiare edictum transmissum manifestatur. 1. Causa
 habendorum Comitiorum. 2. Articuli, de quibus futura
 deliberatio. 3. Locus & tempus exprimuntur, *MILLER. l. c. th. 7.*

§. VIII

Ulterius cum jamjam pateat, Imperatorem de Electorum consensu indicere *COMITIA* posse, quæritur; annon Status Imperii *COMITIA*, non interveniente Imperatoris auctoritate, inter se instituere possint? Antea dictum est, tres esse Classes Statuum Imperialium; ex quibus, quoad res officium eorum concernentes, de Electoribus regulariter hoc affirmat *D. GERHARD. l. c. qv. 3.* quorsum spectant conventus Electorum, qui in genere dicuntur *Chur. Fürsten-Tage* / oder *der Chur. Fürsten Versammlung*; in specie verò vocantur *Wahl-Tage* / quando scilicet vacante Imperio Romano Electores ad novi Imperatoris electionem conveniunt. Nos in genere discrimen facimus inter *COMITIA* universalia, & particularia. Priora cum universum concernant Imperium, ac Cæsarem & ordines omnes æquè respiciant, à Statibus solis, excluso Imperatore, institui nequeunt. Posteriora verò non omninò prohibita sunt, modò non de totius Imperii negotiis consultatio suscepta fuerit, sed tantùm de aliis rebus particularibus. Talia sunt conventus Circulorum, *Kreyß-Tage* / in quibus de Contributionibus, Monetis, præsentatione Asessorum, Executionibus contra contumaces faciendis deliberatur. Similis est conventus Visitatorum Camerae, vulgò *Visitations Tag*. *Vid. SPEID. in Notabil. Jur. Polit. Histor. verbo Wahl Tag / Kreyß Tag / Visitations Tag / u.*

§. IX.

Quæstio hic intercedit per se ardua satis: An nimirum consultum sit, crebriora in Imperio indicere *COMITIA*? Et non desunt qui ausu privatò id ipsum negant, atque
uti

n
-
o
-
n
-
r
n
g
is
g
r
f.
i.
a-
e-
i-
ns
æ-
n-
io
e-
B.
m
us
re
m
io.
II.



526
utilitatem eorum penitus rejiciunt. Sed inductus ego,
tùm quòd moribus veterum sit receptum, tum quoque
quòd id ipsum necessarium ad Statûs conservationem vi-
deatur, affirmanti parti calculum addo. Etenim tempore
CAROLI M. annua in Imper. Rom. extitisse COMITIA, testa-
tur HINC MAR. *Epist.* 3. c. 29. LEHMAN. 2. *Chron. Spirens.*
cap. 37. Et licet postea hic mos in desuetudinem abierit,
tamen in usum quòd revocandus sit, jamdudum svasit
Cardinal. CUSAN. l. 3. *de Concord. Cathol.* c. 33. Neque hoc
ipsum sequutis temporibus displicuisse consilium, factum
declarat MAXIMILIANI I. Hic enim annua COMITIA in
usum revocare cum Statuum Imperii consensu tentavit;
Recess. de An. 1493. Rubr. *Handhabung des Friedens/ 2c.*
& Recess. de An. 1512. §. *Haben wir und die Stände/ 2c.*
Quòd verò sit utile ac necessarium Imperio, si non annu-
as, crebriores tamen celebrare Dietas, hâc cum primis ra-
tione commotus, autumo, quòd malis nimirum tum in-
tus, tum extra prorumpentibus celerrimè in COMITIIS pos-
sit occurri, atque gliscentia in herbâ suffocari. Aliàs
pernitiosæ molitiones tempore pubescunt, & turbulenti,
dum initium ex voto sibi succedere vident, evadunt cor-
datiores, quam opinionem nullâ re æque ac celeritate &
promptitudine COMITIORUM iisdem præripere possumus.
In COMITIIS quoque abditi Statuum patefiunt sensus, atque
secretiora consilia quævis, quæ vel iis invicem vel cum ex-
teris Regibus intercedunt, quin prorumpant, vix possunt
retineri. Deliberatur de vitiis Reipubl. reformandis, sub-
ditis sublevandis, ac sæpius de Magistratibus corrigendis,
qui nimiùm abutuntur potestate. Nullus denique in Co-
MITIIS dissimulationis & ignaviæ locus est, sed sedulò agi-
tur, ut candidè ac syncerè in tot Principum consensu pro-
fitean-

527

teantur, quod ratio suppeditat, nec quicquam dicatur, quod cum veritate non cohaereat. Vilibus quippe animabus, servisque mendacii, liberis verò hominibus verum esse proprium, ait *Pet. Matth. lib. 1. in Hist. Henric. IV. Reg. Gall.* Hisce itaque rationibus opinionem eorum esse devictam puto, qui tantum privati commodi causa sumptus irrogandos in Comitibus opponunt; nimirum antè enumeratae utilitates boni publici, privato utiq; sunt anteferendae. Id verò caveatur imprimis, cum tantis ad Comitibus opus sit impensis, ne de iisdem rebus frustra toties habeatur consultatio, quo nomine malè apud externos audiunt Comitibus nostra Imperialia, de quibus circumfertur *Aeneae Sylvii Sarcasmus: Omnes Germanorum dietas esse fecundas, & quamlibet in ventre habere alteram; ac credibile esse, quia foemineum sit nomen, libenter impragnari dietas, ac parturire.* Nec ignotum est, quòd *Ibraimus Basfa* in Comitibus Imperii Francofurtensibus dixisse feratur: *Germanorum consilia & actiones similes esse beluae multorum capitum, & plurium caudarum, quae sepe transire conaretur; & quia capitum quodq; sibi diversum foramen quaereret, fieri, ut simul universum corpus maneat immotum, impediaturq; quò minus ulterius progredereetur.* Contra suum Imperatorem unicipiti animali assimilari, plures habenti caudas: quòd ubi semel capite transisset, statim corpore toto atq; caudis omnibus sine ullo impedimento penetraret. Videatur *Forstnerus in not. Pol. ad Tac. 4. Annal. p. m. 382.* ubi pluscula de modernorum Comitiorum incommodis disserit. Habeantur itaque Comitibus, quoties id publica utilitas aut necessitas postulaverit, & ita habeantur, ut multis non tantum ratiocinantur multa, consultant, decernant; sed &, cum opus est, promptè decreta exequantur.

C

Atq;ve

Atq; cum utilitas COMITIORUM in frontispicio sta-
 tim Dissertationis deprædicata affatim sit: Idcirco eò pe-
 nitius tradi potest causa COMITIORUM impulsiva, quæ varia
 identidem à rerum civilium Scriptoribus esse perhibetur.
 Sic enim nonnulli asserunt, naturam gentes docuisse &
 olim conventus inire, atque salutis publicæ curam commu-
 ni firmare suffragio, præcipuè quòd oculi plus videant,
 quàm oculus, atque in consilio plurimorum robur con-
 sistat. *Limn. lib. 4. cap. 1.* Egregiè hæc de re dis-
 serit Scipio apud CICERONEM: Ut in fidibus, ait, ac
 tibiis, atque cantu suo, ac vocibus concertus est quidam,
 tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum & discre-
 pantem aures eruditæ ferre non possunt, isq; concertus
 ex dissimilimarum vocum moderatione concors tamen
 efficitur & congruens: Sic ex summis & mediis, & infi-
 mis interjectis ordinibus & sonis moderatâ ratione civitas
 consensu dissimilimorum concinit: & quæ harmonia à Mu-
 sicis dicitur in cantu, eæ est in civitate concordia, arctissi-
 mum atq; plenum omni in Republicâ vinculum incolumi-
 tatis. Accessit tamen deinceps necessitas quoque, utili-
 tas, salusque Reipublicæ. Tandem & metuendum sem-
 per erat, ne conjurationes & ambitiones inter subditos o-
 rirentur. Ut igitur reformari possent mores, ac vitia
 Reipubl. universæ, abusus regis potestatis, ac nobilium
 superbia, quæ opprimebantur subditi, & Ecclesiasticæ perso-
 næ, coercerentur, tributa imponantur, eademq; moderen-
 tur, instituta & adinventata COMITIA sunt. THOLOSANUS
lib. 24. de Republ. cap. 5. Ex quibus satis constat, firmissi-
 mum libertatis populi propugnaculum meritò haberi co-
 mitia. Unde & Augustus, & ejus successor Tiberius, cum
 libertati populi Romani insidiarentur, jura COMITIORUM
 primò

329.

primò omnium infringere conati sunt, observante *Dn. Bœclero, ad Tac. 1. Ann. c. 2.*

§. XI.

Jam ad materiam COMITIORUM in quâ, seu Subjectum accedimus, quod sunt personæ, quæ convocantur. Ad COMITIA verò nemo, nisi Civis Reipubl. seu Status Imperii, vocatur. Nemo enim suffragii, præter civem, in COMITIS ferendi capax est, quippe quod semper jus Civitatis includit. Ac inde dicitur Imperii Status à stando, daß Er ein Stand und Stimme in der Reichs Versammlung habe / *R. J. de A. 1500. &c. MILLER. ad Rumel. in A. B. part. 2. Disfert. 3. n. 4. Add. lit. b.* Et unicò eò, quòd votum ac sessionem in COMITIS habeant, Status ab aliis Imperii membris secerni, asserit *ARUM. tract. d. Comit. cap. 4. n. 1.* Nec igitur statim ille Imperii Status propriè est, ut nempe votum ac sessionem in COMITIS habeat, qui immediatus est, i. e. territorii jure fruitur, uti hoc patet ex *Reces. de A. 1555. §. Dieweil aber etliche &c. ibi: So dem Reiche ohn mittelbar unterworffen / und Reichs Stände sind / & omnium clarissimè ex R. J. de A. 1564. §. Und wollen wir etc. ibi: Gegen denen / so nicht Stände des Reichs / jedennoch dem Heil. Reiche immediatè unterworffen / diese Constitution exerciren.* Extra dubitationis itaque aleam positum est, propriè subjectum COMITIORUM constituere veros Status, qui jure votandi ac sedendi in iisdè utuntur. In censum Statuum per analogiam sic dictorum, quia comitia non vocantur, ex instituto Imperii Romano Germanici *OLDENB. Limn. in enucl. libr. 4. c. 72. n. 13.* refert eos Episcopatum atq; Abbatiarum possessores, quibus propter mutatam religionem aditum ad COMITIORUM senatum interdictum scribit *Goldast. de Regno Bo-*

hem. lib. 2. c. 16. n. 4. Cæterùm pro diversitate Rerumpu-
 blicarum diversi quoque sunt cives ac Status, qui ad COMI-
 TIA convocantur: major eorum varietas deprehenditur
 in mixto statu, quàm in purâ & simplici formâ. In hodie-
 nâ Germanorum Republicâ Statuum κατ' ἐξοχήν sic dicto-
 rum classes, ut supra dictum, tres recensentur, Electorum
 nimirû, Principum, ac liberarû Civitatum, Teste REINKING.
de R. S. & E. l. 1. Claß. 4. c. 3. & Cl. 5. c. 8. n. 47. seq. ubi de ratio-
 ne suffragiorum à Statibus ferendorû ex WEHNERO tractat.
 Prima tamen clasfis, Electorû putâ Senatû, maximâ præ cæ-
 teris in COMITIS gaudet auctoritate. Imperator enim sine
 reliquorû Statuum consensu potest COMITIA indicere, sed
 non prævio Electorum consensu indictio eorum irrita red-
 ditur. Et reliqui ordines, quoties ratio postulat, ad delibe-
 randum ab Electoribus advocantur. Quin &, quod una-
 nimi consilio decreverunt, reliquis rarò displicere solet.
 Demum quod maximè dignitatem hujus Collegii exor-
 nat, concordia inter Electores est. Suum enim quisq; lo-
 cum certum ac dictionem voti certam habet, cum è con-
 trario sessionis discordia Principum senatum miserè dila-
 ceret. Et tantum de Electorum senatu. Secundæ Clas-
 sis occasione hic quæritur, an Nobiles sint ad COMITIA vo-
 candi, inq; iis votum ac sessionem habeant? *Limn. lib. 3.*
c. 29. n. 4. fat firmis rationibus hoc in totum rejicit, cui
 adstipulatur *ARUM. tract. de Comit. c. 4. n. 3.* Qui parilira-
 tione à COMITIS exclusum Regem Bohemiæ asserit, *l.*
c. n. 2. Et evidentissimum hujus rei exemplum refert jam
 allegatus Auctor *c. 4. n. 58. & 59.* Ibi Ferdinandus I. Rex
 Bohemiæ, pro libertate hujus regni fratri CAROLO V. op-
 posuit; Daß ein König in Boheim zu einigen Reichs-
 tage nicht beschrieben würde/ auch weder Stand noch
 Stim-

Stimme im Reichs-Rath hätte. Et causam, quare tanquam Elector ad COMITIA non vocetur Rex Bohemiæ, nec unquam R.I. subscripserit, tribus rationibus explicat GOLDAST. *de Regno Bohem. lib. 4. c. 5.* QVIN ARUMÆUS de COMITIIS *c. 4. n. 4.* negando, quòd Rex Bohemiæ sit Status Imperii, omnem ulteriorem disceptationem hâc in re sopiri posse putat. Cumqve eo consentit MILLER. *ad RUMEL. in A. B. part. 2. dissert. 3. n. 4. lit. C.* Quibus perspectissimis Auctoribus non temerè adeò contradici debere autumo. Licet autem ad Imperii COMITIA non vocetur, aut in iis compareat, conventus tamen Electorales ex eo, quòd Elector est, frequentare solet. ARUM. *ad A. B. dissert. 5. tb. 22.*

§. XII.

Circa Statuum autem qualitates quædam moventur controversiæ, de quibus paullulum disserere precium operæ fore putavimus, ac primò quidem disputatur: An Status Imperii natus ex Patre Principe, uxore verò plebejâ ad COMITIA vocandus & admittendus? Pro negativâ sententiâ illud fortè militare possit, quòd Germanorum moribus utriusque & patris, & matris haberi ratio soleat non in ludis modò equestribus, sed in collegiis quoq; cathedralibus & metropolitânicis, asserente *Petr. Friz. de nobil. civil. concl. 20.* Unde ad COMITIA Imperialia firmior concludendi ratio adesse videtur: quâ re commotus *Bertram. de Comit. membr. 3. n. 45.* negativæ disputando, non definiendo, subscribit. Mihi tamen affirmativa obtinere putatur. Filius enim non matris, sed patris sequitur conditionem in honoribus, dignitatibus, familiâ & gente, ideoque matris ignobilitas illi in juribus ac Privilegiis paternis non debet nocere. Filius quoque tam in Privilegiis realibus, quam personali-

C 3

bus



bus Patris heres existit; Ut taceam, eum, qui ab Imperatore evehitur ad PRINCIPALEM vel COMITIVAM in Imperio dignitatem, licet majores ipsius in eodem dignitatis gradu non fuerint constituti, non prohiberi, quò minus PRINCIPUM vel COMITUM juribus ac privilegiis utatur: & sic multò minus illum, in quem major nobilitas à Patre derivata est, ob ignobiliorem matris conditionem, ab usu jurium suorum posse arceri. Sed hoc in thesi assertum volumus. Quod si enim vel consuetudine, vel expreso statuto aliud introductum sit (uti in Torneamentis & Collegiis Ecclesiasticis) ad ejus tenorem quoque in hypothesi decisio accommodanda est. Porro si Statuum quis infra pubertatem adhuc sit constitutus, quaeritur, quid tum juris obtineat. Resp. tum eorum officio tutores in COMITIIS fungi solent. Naturali enim juri conveniens est, ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutelâ regatur. §. pen. *Inst. de Attilian. tut.* Ea propter Recesum Imperii de A. 1594. subscripsit FRIDERICUS WILHELMUS Herzog zu Sachsen/ In Vormundschaft/ und der Chur Sachsen Administrator.

§. XIII.

Disquirendum hic porro venit: An Principes ac Status ipsi COMITIIS interesse debeant? Possunt quidem negotia quævis à Legato ampliori mandato instructo expediri, unde & Princeps deterioris judicandus conditionis non est, quàm alius ad judicium vocatus. Quum etenim omnis citatio ita concipienda, ut citatus per procuratorem comparere possit, multò magis Statibus in COMITIIS per Legatum comparendi erit facultas. Quoniam tam graviora negotia commodissimè peraguntur ab illis, quorum maximè interest, ne quid præter expectationem accidat,
æquum

533

æquum esse videtur, si priorum subditorum ac territo-
rii patiatur conditio, ut Status ipsi COMITUS coram inter-
sint, propriisque consiliis procurent ea, quæ communem
omnium salutem respiciunt. Hinc olim in emanentes si-
ne gravi & legitimâ causâ multa constituta fuit, quod eti-
amnum in Poloniâ obtinet, prout & apud Romanos, qui
ad Senatûs vel Collegii consilium vocatus non comparue-
rat, pignoribus captis, aliisve modis cogebatur. Et M. An-
tonius Consul Ciceroni, nisi in Senatum vocatus veniret,
domum ejus se eversum comminatus est. *BODIN. 3. de*
Rep. c. 7. Hæc tamen severitas, olim in Imperio nostro usi-
tata, postea abolita est. Constitutum enim à MAXIMILIANO
I. Imperatore, ut cuilibet suo damno emanere liceret. *R.*
N. zu Cöln de Anno 1512. §. Es sollen auch die Churfür-
sten. Qvin & in A. B. CAROLI IV. Imperatoris lib. 1. §. Præ-
terea & §. Princeps vero &c. expressè dispositum est, ut Ele-
ctores ad ipsam Imperatoris Electionem legatos suos pos-
sint mittere. Add. jam dictis SCHOCK. de Arcan. Imperii l. 8.
c. 1. §. 12. ubi asserit, quòd tres supra enumerati ordines CO-
MITIIS vel per se, vel per legatos interesse soleant.

§. XIV.

Quod si etiam Status ad COMITIA citati penitus ema-
nent, nec Legatos suos mittunt, nullam ob id pœnam ali-
am sentire coguntur, quàm ut decretis in iisdem factis,
pariter ac reliqui Status, sese obsequiosos præstent. Proba-
tur hoc ex Constitutione MAXIMILIANI I. In thes. superio-
ri citatâ, d. §. Ibi: *Ob aber einer oder mehr aufbleiben / &c.*
Obberührter massen endlich berathschlagen und be-
schliessen werden / dem soll von allen Ständen gefolgt /
nachkommen und vollstreckt werden / ohne alle wieder-
rede

rede und Weigerung. Cumq̄ve eā consentit formula li-
 teris denunciatoriis inseri solita, quarum in verbis poste-
 rioribus comminatio continetur, ut emanentes reliquorū
 Statuum decreta, ac si præsentes fuissent, servare teneantur.
 Et hæc observantia diuturnis moribus est introducta, siqui-
 dem jam tempore FRIDERICI III. in ulu fuit. Cum enim
 Status Imperii Anno 1487. in COMITIIS Norinbergensibus
 conclusionem fecissent hæc annexâ protestatione. Doch
 damit denen/so theils von den Ständen nicht erschie-
 nen/nichts vorgegriffen werde; Imperator Statibus
 Imperii respondebat; Daß es im Reiche also herkom-
 men/wenn auff einen Reichstage etwas beschlossen/
 daß solchem die abwesende Stände zugehorsamen
 schuldig. Ampliatur id ipsum, quod si in COMITIIS Ele-
 ctorum consensu solenniter indictis plurima Statuum pars
 emanerit, nec Legatos suos miserit, nihilominus præsen-
 tium Statuum decreta vim Legis obtineant; idq̄; argu-
 mento Imperatoriæ electionis in simili apparet, ubi
 plurimis Electorum emanentibus, reliqui nihilo secius ad
 ipsum Electionis actum procedere, eumq̄; ad finem per-
 ducere possunt. Et quis eslet aserturus, contumaciam e-
 manentium reliquis præjudicio ac fraudi esse debere in
 COMITIIS Electorum consensu ritè indictis? Neq̄; enim
 hoc in casu Electores quoque emanuros, præsumitur, si-
 quidem, quæ semel placuerunt, amplius displicere non
 debent. Et hæc nostra thes. probatur ex jam supra citata
 Recess. Colonienf. d. An. 1512. §. Es sollen auch die Chur-
 fürsten/2c. Ibi: Ob aber einer oder mehr außblei-
 ben.

§. XV.

Plurimis itaq; traditis de Statuum qualitate ac officio,
 jam

536.

jam quoque dubio suo non careret quaestio: An Exteri etiam ad COMITIA sint vocandi? Qui affirmativæ ad stipulantur sententiæ, pro fundamento afferunt, quod Exteri etiam Reges olim ad Germanorum COMITIA fuerint vocati. Idque tum maximè, quando de propulsando hoste, aliave communi causâ agebatur. Sic Attilam potentissimum illū Teutoniæ Imperatorem & CAROLUM MAGNUM socios, & amicos liberos, æquè ac subditos ad jus COMITIORUM, Reique publicæ deliberationem ascivisse, legimus. Idem ut nostro seculo fieret, exoptat GOLDASTUS *in præfat. v. 3. Reform. Imp.* Sed ego hanc quaestionem nego, & ad hanc objectionem respondeo, quod si unquam hoc contigerit, tamen extraordinariè factum fuerit. Interest enim, ne exteri & peregrini arcanis Imperii deliberationibus intersint. Soli cives suffragiorum ac juris de republicâ statuendi capaces sunt; quam in æstimationem cum non veniant exteri, suâ sponte efficitur hoc, quod ad COMITIA vix ac ne vix quidem sint admittendi. Decresceret quoque Majestaticus COMITIORUM splendor, si Status exterorum Consiliis indigere videantur, BERTRAM. *d. tr. membr. 3. tb. 26.* Rectè pro inde Germanico Imperio hoc in passu disserit HERMEE ex GOLDASTO, *c. 36. Fasc. Jur. Publ. n. 25.* Fuit olim & est adhuc Germania invicta viribus, si conjunctæ manent, non disperguntur in varia; forma moribus veteri par, imò superior, in quâ, etiam quibusdam partibus avulsis, agros, novalia, olim quasi deserta, jam culta videmus; oppida, arces, & urbes munitissimas erectas, quibus olim ita non abundavit, ut alienis non egeat præsidiiis, auxiliis, consiliis: quos si quis hodie, ut olim, Barbaros appellaret, ipse verius Barbarus censendus esset. Possunt tamen & illi certis de causis ad COMITIA vocari, qui Reipublicæ subditi sunt, licet

D

Status

Status Imperii non sint. Non equidem ut votandi ac se-
dendi in COMITIIS jure utantur, sed ut demandata sibi of-
ficia præstent, aut aliàs in certis negotiis rationem red-
dant. Sic hæreditarius Sacri Imperii Mareschallus evoca-
tur ad COMITIA, ut muneris sui rationem habeat, quod in
his consistit, ut 1. Statibus aliorumque Legatis diversoria as-
signet ac distribuatur, ædes eligendo, certæ personæ assignan-
do, nomenque illius, cui assignantur, inscribendo. 2. An-
nonæ curam habeat, quò adventantibus abundè, justoque
pretio, pondere & mensurâ suppetant illa, ad victum quæ
sunt necessaria. 3. Curiam, in quâ actus publici celebra-
tur, lustret, ac splendidè omnia apparari curet. 4. Securi-
tati publicæ prospiciat, nocturnasque constituat excubias,
ne urbs per incendia, irruptiones, seditiones, sicarios-
vè infestetur. 5. Indicat Statibus, quo die ac horâ ad Pro-
positionem Cæsaream & consultationes debeant compa-
rere, & vota in Senatu Principum requirat & colligat. 6.
Jurisdictionem in Legatos, Legatorumque familias & ad-
venas exercent. Quod Lutherus ad COMITIA vocatus fue-
rit; id non votandi, sed sui defendendi causâ factum est.
Tandem quod & Nobiles COMITIIS interfuisse ferunt, re-
spondetur, Nobiles tum non ut Status, sed ut membra Rei-
publ. adfuisse, quod & LIMN. lib. 3. c. 29. n. 4. sat iuculentis
rationibus demonstrat. Interim eo modò ad COMITIA vo-
cari posse exteros cum cit. LIMN. lib. 4. c. 72. n. 1. § 15. in totum
non abnego, si nimirum Status eos deliberationibus inter-
esse non patiantur. Sed saltem de rebus, quæ communem
Imperii exterorumque concernunt salutem, cum ipsis a-
gant.

§. XVI.

Ordo nunc exigit, ut brevibus explicem, per quem
modum



537.

modum Status Imperii ad *COMITIA* vocentur? ROMULUS cum Leges dare vellet populo, & formam addere Reipublicæ, in consilium vocavit omnem multitudinem, deinceps ex illis centum Patres delegit, pro Consilio, *l. 2. §. 2. & seqq. ff. de O. J.* Sic Rex Galliarum edictum significat se habiturum *COMITIA* generalia, anno locumque certo denominato, & jubet, ut Senatus & Parliamenta hoc edictum publicari curent, suarumque Provinciarum Senarchos reddant certiores. Hi rursus civitatibus & Pagis sibi commissis significant. Conf. THOLOSIENSIS *loc. cit. cap. 4.* Quod olim in nostro Romano-Germanico Imperio obtinuit, ut tradit LEHMANNUS *lib. 7. c. 98. & us. Chron. Spir.* Consultius verò hodiè censetur, Status per literas (*Aus schreiben*) nominatim ac in specie, quæ ubique & semper generali vocatione potentior est, magisque vocatos afficit, compellare & ad *COMITIA* citare. Contigit enim, ut olim edicto vocati rarius venirent, ita ut propter paucitatem comparentium aliquando *COMITIA* differri necesse esset, ut evenit FRIDERICO III. Imperatori, conventum Francofurtiensem Anno 1442. & Norinbergensem Anno 1479. celebrare volenti. Unde mos Status per literas in specie evocandi, tanquam tutior à temporibus FRIDERICI III. usurpari captus ad hæc usque tempora non interrupto ordine fuit observatus. *ÆRUMÆUS de Comit. c. 5. num. 2.* Hujus verò edicti *COMITIALIS* sex recensentur partes & contenta ab *ÆRUMÆO l. c. n. 6.* scilicet (1.) Nomen vocantis: *Wir Rudolph / der Andere / von Gottes Gnaden erwählter Röm. Kaiser.* (2.) Nomen vocati *Hochgeboh:ner lieber Dheim und Fürst / etc. Wir stellen in keinen Zweifel / es werde nunmehr Euch / etc.* (3.) Causæ vocationis. Cum enim in privatis causis æquum putetur, ut reo ad judici-

um vocato tēpus deliberandi secum concedatur, cedere an contendere velit, *L. 1. ff. de Edendo*, multò magis in causâ publicam salutem & Imperium concernente, pro informatione hoc inferi debet, ne ex improvise de Summâ Reipublicæ consulere necesse habeat. (4) Locus quoque determinetur, quemadmodum & (5) tempus, de quibus inferius dicam. Tandem (6) sequatur petitio cum annexâ comminatione, uti ejusmodi formulam adjecit *DOMINICUS ARUMÆUS l. cit. Conf. MILLERUS in Rummel. ad A. B. part. 2. disert. 3. p. 383. & 384.* Ac licet olim literæ convocationis imperativè ad Status destinari fuerint solitæ: quia tamen magna *COMITIORUM* pars ad ipsos pertinet, in locum antiquæ formæ jussionis, quæ aliquam duritiem sapere videbatur, pro illis verbis: *Gebiethen / heischen / befehlen /* quibus *FRIDERICUS III.* Anno 1442. & *CAROLUS V.* Augustæ, Anno 1550. usi fuere, hodie blandiori alloquio temperantur, ita ut non tam citando, quàm rogando nihil de majestate Imperatoris decedat, nec Statuum jura, privilegia & libertas minuatur, si venire requirantur pro communi Imperii salute & incolumitate. *HERMES, Fasc. Jur. Publ. l. c. n. 35. Conf. ARUMÆUS de Comit. c. 5. n. 41. & LIMN. l. 4. c. 72. GOLDAST. tom. 3. Constit. Imperial. fol. 158.* Pœnam insuper quandam emanentibus, voti nempe privationem, aliqui irrogari contendunt. Sed rectè id restringit *OTTO in Jur. Publ. pag. 465.* & pro tempore hoc tantum fieri adfirmat, cum tamen pro tempore pœna propriè non sit, sed necessarium tantum, emanationem concitans, ideò manet thesis firma, quod pœna iisdem penitus sit decreta nulla, quàm coacta decretorum rati habitio. Cæterùm ad Clausulam illam, literis evocatoriis inferi solitam, quam paulò ante recensuimus, in *COMITIIS* Anno 1559. habitis difficiles se præbuerunt Electores, non quidem

539

dem, quòd ad ipsos rati habitio decretorum à comparen-
tibus facta non pertineat, sed quòd res auctoritate E-
lectorali indigna videatur, ipsos ad COMITIA, quæ sine eo-
rum consensu institui nequeunt, adeò minacibus verbis
pro imperio vocari, HERMES l. c. n. 38.

§. XVII.

Materiam in quâ, sive subjectum, sequitur *objectum*,
sive materia circa quam, quæ certè materia nihil aliud
complectitur, quàm res, de quibus in COMITIIS deliberan-
dum. Eas MICRÆL. in *Polit. l. 2. c. 8.* definit, quòd sint ardua
negocia, vel totam Rempubl. vel etiam ejus membra con-
cernentia. Qualia sunt 1. leges ferendæ vel abolendæ, 2.
procuraciones pecuniarum, contributiones & colle-
ctæ. 3. Bellum & pax. 4. custodia regionis, ejusque com-
modior gubernatio. 5. Merces importandæ & expor-
tandæ. 6. Religio. 7. Fœdera & societates ineundæ, vel dis-
solvendæ. 8. Nonnunquam etiam causæ privatorum, quæ
concernunt rempublicam, ut in rationibus repetunda-
rum, aut in privilegiis procerum, eorumq; dissidiis, item
de pœnâ iis infligendâ, qui contra majestatem & bonum
publicum deliquere. OTTO in *jur. publico pag. 466.* mul-
tipliciter dividit Res illas deliberandas in Imperii
Germanici COMITIIS; Sed ego hæc in parte LIMNÆI
sententiæ nomen subscribo, qui l. 9. cap. 1. num. 158. dicit;
quod illæ partim circa statum Ecclesiasticum, partim circa
Statum Politicum versentur; quam divisionem etiam ap-
probat CONRING. *dissert. de præcipuis Negotiis in COMITIIS
Imperii Germanici olim & hodiernum tractari solitis &c.*
Eundè nunc per partes esset, ac ostendendum, quâ ratione
singulæ res, quæ salutem Imperii vel directò, vel per conse-
quentiam concernunt, consultationi subjiciantur: sed cum
hæc omnia copiosè satis explicata sint in modò laudatâ

CONRINGII Disputatione, nolo actum agere, benevolum Lectorem, plura de iis scire desiderantem illuc remittens. Quum verò ad omnia consilia, omnesque actus in Nomine Domini nostri **JESU CHRISTI** progrediendum sit, uti *Justin. monet. l. 2. pr. C. de offic. Prefect. Prætor. Afric.* initium quoque hujus deliberationis eadem sanctitate fieri debet; eaque de re disserit *Cardinalis Cusan l. 3. de Concord. Cathol. c. 37.* his verbis: *Sacri Imperii Electores dum ad electionem procedere volunt, de statuto cum omni humilitate, & devotione maximâ ad divina conveniant, spoliantes se omni peccato, ut in medio eorum sit Christus Dominus. Et invocatâ gratiâ Spiritus Sancti, post introductionem devotam agenda rei, tractent de pluribus, qui ad Imperium dispositione extrinsecâ & intrinsecâ tantæ Majestatis digni esse possint. Ideoque & Cæsar cum Electoribus & reliquis Statibus antè factum COMITIORUM initium templum visitare, atque ibi Misam de Spiritu S. audire solet, huncce in finem, testante **CAROLO IV. c. 2. in A. B.** ut ille corda ipsorum regat, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi, suo fulti præsidio, ea, quæ Imperio proficua sunt, in medium consulere valeant; Et hæc de causa materiali in præfenti sufficient.*

§. XIIX.

Absolutâ itaque materiâ, sequitur **COMITIORUM** forma explicandâ, quæ potissimum in propositione ac consultatione consistere mihi videtur. Et quoad propositionem monendum est, eam eidem soli competere, cui indicendorum **COMITIORUM** jus competit, aut cui ab eo hoc demandatum. Circa propositionem ipsam occurrunt i. Convocatio, seu intimatio, quâ præfentes Status, vel eorum legati

certâ

certâ die ac horâ in loco conventus comparere jubentur^o
 2. Statuum Comparitio. 3. Ad curiamitio, & sessionis oc-
 cupatio. 4. Gratiarum actio ad Status presentes, eorum-
 ve Legatos directâ. 5. Expositio causarum, ob quas CO-
 MITIA sunt indicta. 6. Replicatio & responsio Ordinum.
 7. Hortatio ad dicendam sententiam. Consultatio seu tra-
 ctatio causæ constat 1. propositionis recapitulatione. 2. Di-
 sceptione ac suffragiorum recitatione. 3. Conclusionem ac
 decisione. Quod ad Imperium nostrum Romano - Ger-
 manicum, forma COMITIORUM his actibus absolvitur:
 Cæsar præstituto ad propositionis publicationem die cum
 Statibus omnibus, quicunque presentes sunt, absentium-
 que Legatis in templo conveniunt, ibique pro felici consi-
 liorum augurio preces ad DEUM fundunt. Ac Impera-
 tor quidem cum cæteris Catholicis Missam de Spiritu S. au-
 dire solet, quâ durante Protestantes, à sacris illis superstitio-
 sis abhorrentes, in proximum conclave abeunt, tam diu ibi
 commorantes, donec Missa ad finem perducta fuerit. Om-
 nibus reversis cantatur Ode: Veni S. Spiritus, &c. quod
 hætenus sine intermissione factum fuisse perhibet *HER-
 MES, l. d. num. 61.* Finitis sacris Cæsar, aut ejus Commis-
 sarius, cum cæteris Electoribus, Principibus, Ordinibus, ab-
 sentiumve Legatis exquisitissimâ pompâ ad curiam dedu-
 citur, ubi quilibet sessionem suam occupat. Sessio tunc
 Imperatoris in loco eminentiori existit, quem paullulum
 de pressiori loco Electorum circumdat Senatus. Tum Prin-
 cibus reliquis, atque Civitatum Legatis, alia in eodem
 tabulato sunt subsellia, uno gradu Electorum, duobus verò
 Cæsaris sede inferiora. Extant quoque stragula veste præ-
 tiosissimâ decorata, in quæ conferre sese reliquis Imperii
 ordinibus licet; quorum verò sessionis ordinem, ob plu-
 rimas

m
 is.
 ni-
 ui
 ni-
 eri
 rd.
 ele-
 &
 nni
 ca-
 ren-
 ex-
 eo-
 fa-
 ibi
 tan-
 gat,
 nus
 me-
 præ-
 rma
 ult-
 nem
 icen-
 man-
 nvo-
 egati
 certâ



rimas inter eos præcedentiæ intercedentes contentiones, hic describere non sustineo. Statibus itaque in curiâ præsentibus, quidam Imperii Principum, cui hanc vicem mandavit Imperator, auspiciam facit. Et primum nomine Imperatoris gratias agit, pro factâ Statuum comparitione, atque simul, ut capita in Propositione promulgandâ contenta audire, de quæ Reipubl. saluti conducibilia sint futura, consulere velint, ab iisdem petit. Quò factò per Cæsareæ Majestatis Secretarium in medio Curiaë propositio publicè legitur. Tum Imperator propositione finitâ Status ipse adhortari consuevit, ut Imperii, ejusque membrorum utilitatem, suis consiliis promoveant. Status brevi invicem habito colloquio, Imperatori quoque per Electorem Moguntinum gratias pro sollicitudine suâ de imperii commodo debitas decantant, in quæ omnibus ad salutem dignitatemque Imperii pertinentibus studia uti obstricta, ita promptissima deferunt. Sed ut commoditate eò majori de factâ propositione Status possint deliberare, copiam ejusdem exposcunt, quâ impetratâ ipsam tractare causam incipiunt. Denunciato itaque die in suis quisque conclavibus conveniunt, de Cæsaris propositione in singulis collegiis consultaturi: quorum sunt tria, pro triplici numero classium Imperii Statuum. Consultatio autem, quantum fieri potest, eodem ordine, quò Cæsarea propositio ordinata, institui debet, nisi urgens necessitas contrarium svadeat. Hocce enim in casu, relictâ prioriparte, ad secundam Status rectè descendunt. Etenim Imperii id postulat Salus, daß man den wichtigsten Punkt zupörderst zuberathschlagen fürnehme / R. I. Ratispon. de A. 1576. §. daran sie denn den Ersten / ibi: als den wichtigsten / R. I. Spiren. de Anno 1642. §. Demnach haben

593

haben wir/te. ibi: als den fürnehmsten und nöthwendigsten zum ersten für die Hand genommen. Quo de capite verò fuit consultatum, de eo postea votorum perquisitio publicè tam in Electorum, quàm reliquis Collegiis instituitur. Et quidem Moguntinus in Electorum Senatu vota suorum CoElectorum colligit, 1. Trevirensis. 2. Coloniensis. 3. Bavari. 4. Saxonis. 5. Brandenburgensis, & ultimò Palatini. Moguntini verò sententiam Saxo secundum transactionis dictæ tenorem exquirat; prout hæc fusius tradit *ARUM. de Comit. c. 7. n. 78. & 80.* Debent verò hæc vota nervosè atque Germanicâ lingvâ tradi. Est enim, prout *SENEC. l. 9. controvers. 5.* ait, non minus magna virtus, scire desinere, quàm scire dicere. Hinc & *ZENON* plura loquenti dixit, naturam nobis lingvam unam, aures verò binas dedisse, scil. ut duplo plus audiamus, quàm loquamur, quod & utique in *COMITIIS* observandum, ubi unò plures votandi jure fruuntur, quod unius verbositate cæteris adimi non debet, uti *ARUM. l. c. num. 137.* Consuetudo, quòd non alio, quàm Germanico, uti liceat idiomate, à Romanorum procedit exemplo, qui in quacunqve provinciâ rerum potiti sunt, Latino sermone in judiciis ac cæteris hominum actionibus uti mandârunt. Exindè quoqve tanti æstimare Germani suam lingvâ coeperunt, ut tempore jam *RUDOLPHI I.* Imperatoris in *COMITIIS* non amplius literis Latinis, sed Germanicis, mentem suam exprimerent: quâ de re vid. *LEHMAN. l. 5. Chron. Spirens. c. 107.*

§. XIX.

Cæterùm suffragiorum quæ in *COMITIIS* habenda sic ratio, non una omnium sententia est, plurimis eò inclinantibus, quòd ex votorum pluralitate concludendum,

E

mi

minorque pars majori cedere debeat. Ab omnibus approbandum eque, quod omnes tangit; verum cum homines ad dissentiendum naturaliter proni ac faciles sint, nemini non patet, nullam unquam sperandam esse concordem decisionem in generalibus ejusmodi conventibus, nisi pars major minorem vinceret. Ac verisimile perquam est, veritatem a multis inveniri perfectius, quam a paucis posse: ut taceam, cum sit impar prudentia, par omnibus jus competere; ex quo quod major pars Curiae effecit, pro eo habendum, ac si omnes egerint. Unde lex illa Romanorum, de qua Caelius apud *CICERONEM*, l. 8. *Epist. 8.* *Quod horum judicium major pars judicavit, id ratum esto.* Et hanc rationem plerisque gentibus probari, exemplis Senatus Pedemontani, Sabaudiae, Mechliniensis, judicii Neapolitani, Reip. Venetae, Electorum in eligendo Imperatore, Cardinalium in electione Pontificis, aliorumque demonstrari posset. Quod idem in Imperii Romano-Germanici conventibus tam universalibus, quam particularibus obtinet, uti clarum est ex R. I. Trevirensi, de Anno 1512. §. Es sollen auch die Churfürsten / ibi: Und was dieselbe / so erschienen sind / oder der mehrertheil auß ihnen obberührter massen endlich berathschlagen und beschliessen werden / dem soll von allen Ständen gefolgt / nachkommen und vollstreckt werden / ohn alle Wiederrede und Weigerung. nec non ex R. I. Eslingensi, de Anno 1526. in princ. ibi: Und deme / so durch den mehrern Theil beschliessen / folge thun.

§. XX.

Non officit nostrae sententiae, quod in omni judicio vincere debeat non prima, sed melior sententia; nec numeran-

meranda sint vota, sed ponderanda: unde etiam unius Paphnutii sententia contra omnes obtinuit in Synodo Nicena, *Dist. 31. Can. 12.* Quod si enim in hisce ad saniora vota respiciendum esset, nemo non existeret, qui sanio- rem suam opinionem existimaret, ex quo inter Proceres graves rixæ ac dissensiones metuendæ essent, singulis sententiam suam pertinaciter propugnantibus. Et licet forsan simpliciter & absolutè melius sit, ponderare vota, quàm numerare; non tamen idem statim bonum putandum est alicui, & secundùm quid, h. e. respectu certarum circumstantiarum loci, temporis, vel personarum, ob naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem: haud secus ac vinum absolutè loquendo bonum est, nec tamen conducit febricitanti. Adde quod votorum ponderi magis relictus locus sit in consiliis, quàm in suffragiis. Nam consilia consultantium à superiore ponderantur, suffragia verò numerantur. Inde Princeps, qui laudabiliter in rebus magni præjudicii Consiliarios suos convocat, & singulorum consilia exquirat, non tenetur id eligere, quod major pars Consiliariorum svadet. *THOLOS. l. 24. de Rep. c. ult. num. 4.* Nonnulli insuper ad certos casus limitant superius dicta, & enumerant causas, in quibus & in Imperio nostro majora admitti non debeant, quales sunt. 1. Gewissens und Religionsachen. 2. Contributions-Sachen. 3. Cammergerichtsachen. 4. Freyheiten/Privilegien/ und dergleichen Immunitäten. 5. Religion-Friede/sambt dessen zu und angehörungen. 6. Profan Friede und andere Sachen/des gemeinen Vaterlandes Friede und Ruhe betreffende. 7. Diejenigen Sachen/darinnen die Römischen Catholischen Partheyen sind/ und mit den Evangelischen streitig. 8. Sachen/so wieder die

E 2

Billig

ro-
ho-
int,
on-
bus,
per-
m à
ro-
ria
lex
'E-
tum
em-
dicii
pe-
que
no-
icu-
no
vas
Bih
be
igt/
der-
An-
ern

licio
nu-
ran-



Billigkeit und die Regel: Quod quis juris in alium statuit, eodem ut ipse utatur, necesse est, lauffen. 9. Außtrage. 10. Fälle/ so die Executions-Ordnung / Reichs Constitutiones, Büldene Bulle / und dergleichen/ anlangen. 11. Erbeinigung / Verträge/ Compactaten etc. 12. Sachen / da saniora vota verhanden. 13. Fälle / da omnium consensus von nöthen ist. Verùm quis non videt, quòd admiffa hâc fententiâ nihil in deliberationem venire possit, quin vel implicite sub prædictis casibus contineatur, vel ad eos reduci possit? Hinc BERTRAM. de COMITIBUS m. 5. n. 73. distingvit inter causam religionis & fidei Christianæ; & inter negotia politica. In priori non prævalere debere ait majora, quia aliam habemus maximam Apostolicam, quod nostrum unusquisque de seipso reddet rationem, Rom. 14, 12. In Politicis verò negotiis contrarium simpliciter statuendum censet. Dn. REINKINGK. l. 1. de regim. secul. S. Imp. Rom. class. 5. c. 8. num. 71. causæ religionis addit præterea illas, quæ ad omnes tanquam singulos pertinent. Dn. LIMNÆUS l. c. §. 189. multas ex supra memoratis causis admittendas censet, si religionis pace uti frui ex asse velimus, ne alioquin per indirectum nobis adimatur quod directò concessum fuit. Nostrum non est, tantas componere lites, sed malumus hâc in re τὸ ἐπιχειρῆν adhibere.

§. XXI.

Quæ verò & quanta Ordinis cuiusvis in Comitibus statuendi potestas sit, ita simpliciter definiri nequit, sed ex more ac usu uniuscuiusvis reipublicæ addiscendum est. In Germanorum Imperio ut se res hâc in parte habeat, perquam cognitum obscurum est. JOH. BODINUS, parum æquus majestatis Cæsareæ æstimator, omnem potestatem

fanciendi & confirmandi decreta Impèrii Statibus tribuit,
l. 2. de Rep. c. 6. Quam ejus sententiam, refutatione indi-
 gnam, opprobrium magis, quàm commiserationem, me-
 reri, uti ex livore aliquo contra Romanum Imperatorem
 profectam ab *Andio sine bono*, censet HERMES, *l. c. n. 78.*
 Alii à *Bodino* nimium discrepantes in Ordines Imperii re-
 liquos non parùm sunt injurii, dum Imperatori soli o-
 mnem in COMITIIS decernendi facultatem transcribunt.
Si enim sacra Cæsarea Majestas in COMITIIS decernit sola,
quid Statibus de COMITIORUM jure superesse existimas?
Si de negotiis Imperii universis soli Impetatori absq; discrimi-
ne cognitionem tributam volunt, quid illud est, quòd in caus-
sis, commune Patriæ bonum spectantibus, sine consensu Proce-
rum nihil se constituturam Majestas Imperatoria jurat? Si
etiam in conventibus publicis ipsa sola pro arbitrio statuit,
quomodo CAROLUS V. in Germaniâ se regibus imperare, &
MAXIMILIANUS I. se regem regum dicere potuit? rectè
 cum BERTRAMO interrogamus, *tr. c. n. 74.* Medium itaq;
 inter utrumq; extremum teneamus oportet, ita, ut nec
 Cæsari vindicemus cuncta, nec ordinibus omnia adima-
 mus, sed cui libet relinqvamus, quod ipsi debetur. Sunt,
 qui universum suffragiorum jus inter Cæsarem & Status
 ut assem COMITIORUM in duos semisses distribuunt, unum
 Cæsari, reliquum universis ordinibus attribuentes, quo-
 rum hic in tres sextantes, pro numero trium Collegiorum,
 subdividatur, ut singulis Collegiis hoc modo triens semif-
 sis, vel sextans totius assis competat, de quibus unum sex-
 tantem Electores, secundum Principes tertium liberae,
 Imperiales Civitates habeant. Vid. HERMES. *l. c. num. 79.*
 Verùm hæc sententia nec tuta videtur satis, & cum sine
 fundamento allata sit, suis potius auctoribus remittenda.

E3 Pro-

Probabiliorem igitur iudico illorum opinionem, qui ea, quæ in COMITIIS ab Imperatore & Statibus sanciantur, contractus & transactionis instar esse arbitrantur, in quo contractu una pars transigens sit Imperator, & altera ipsi Imperii ordines conjunctim. Hinc ita infert BERTRAM. l.c. *Quale in conventionibus alterutrius contrahentium arbitrium est, talis quoque & non alia potestas est Imperatoris in COMITIIS. At contrahentium in contractibus ineundis arbitrium hoc est, ut alter alterum invitum obligare non possit, sed utriusque requiratur consensus. E.* Et inde liquere putat, Imperatori nec majorem, nec minorem, sed parem & æqualem cum Statibus conjunctim consideratis in decernendo competere auctoritatem. Nec aliud docet consveta in R.I. formula: *Haben wir uns demnach mit den Ständen/ und sie sich wiederumb mit uns verglichen.* Conf. GERHARD. in *quest. controvers. J.P. Hex. 5. qv. 4.* Monet tamen HERMES, l.d. quod, quando ab unâ parte Cæsaris adest consensus, non sit simpliciter necesse ex alterâ parte Statuum, ex quâ plures consortes, sive tria collegia, universorum concordantem adesse consensum; sed majoris partis voluntas sufficiat.

§. XXII.

Quod si singula Collegia singulas tueantur sententias, progredi ulterius non possunt, cum substantiale contractus requisitum sit consensus. Tum verò plerumque tamdiu replicando, triplicando, &c. adductis hinc inde pro opinione suâ idoneis argumentis, à Cæsare & Ordinibus disceptatur, donec vel hi in illorum, vel illi in horum sententiam sponte concedant. Nonnulli diremptionem Statuum discordantium Cæsari transcribunt. Ac eâ quidem

dem de re nullum restat dubium, si Status discrepantes Cæsareæ decisioni id liberum relinqvant; uti accidit in Comitibus Ratisponensibus, Anno 1576. in quibus Status Imperatori hoc modo supplicarunt. Derohalben unsers allerunterthänigsten erachtens ganz unvonnöthen/hierinnen auff des einen oder andern theils Bewilligung zu sehen/ oder zu warten/ sondern E. Kayf. Majest. als das Oberhaupt und handhaber aller Ordnung und Geseze/auch Beschützer und Beschirmer der Beträngten/haben dißfalls vollkommene Macht und Gewalt/ zu verhütung grösseren Unraths und besorgter Weiterung im Heil. Reich Ihr Kayserl. Ambt zu interponiren. Utrum verò cessante Statuum arbitrio id perinde procedat, perdefinitu difficile est: quâ de causâ nec mihi certi aliquid statuere constitutum est. Denique quando consensus omnium vel plurium Statuum in omnibus, vel quibusdam punctis, adest, promulgatio Decreti & confirmatio sequitur. Confirmatio constat formulâ Recessûs, seu constitutionis generalis, ejusdemque repetitione. Subscribitur autem Recessus à Cæsare & Statibus secundum Collegiorum ordinem, ac subsignatur. Quo facto, actisque breviter repetitis, Recessus consignatus à Moguntino Cancellario clarâ voce publicè prælegitur, eoque prælecto Cæsar ab Ordinibus in Palatium suum deducitur. Vid. OTTO in J. P. p. 485. seqq.

§. XXIII.

Formam excipit finis, qui secundum BRAUTLACHT. de jur. Publ. p. 192. est vel *Generalis*, vel *Specialis*. *Generalis* est salus publica, ad quam, ceu finem ultimum, omnis deliberatio debet collineare. *Specialis* est rerum illarum, quarum

a,
r,
vo
of
M.
r-
in
r-
it,
at,
em
te-
u-
sie
RD.
R-
en-
ex
n-
un-

en-
on-
nq;
nde
ini-
um
nem
qvi-
lem



rum cāusā ordines fuerunt convocati, decisio & expeditio. Confer. CONRING. *disfert. de precipuis Negotiis in COMITIIS Germania tractari solitis.* Occasione finis SCHOCKIUS *in tract. de Arcanis Rerumpubl. l. 8. cap. 19.* quæstionem proponit, cur in COMITIIS, quæ in Imperio Germanico coguntur, sæpius nihil efficiatur & id quæ variis rationibus demonstrat, quas inter non postrema videtur, quod inutilibus certaminibus se plerumquæ fatigent, atque sic æmulatione tempus terant. Reliquas rationes quære in cit. Autor. &c.

§. XXIV.

Jam fine quoque ad finem perducto, ipsam COMITIORUM aggredior definitionem, & in ea constituenda LIMNÆUS, RUMELINUS, ARUMÆUS, BRAUDLACHT, atque CONRINGIUS unanimiter consentiunt, quare illorum in hocce studiorum genere probatissimorum Auctorum opinionem rejicere temerarium duxi. Sunt itaque COMITIA *conventus totius corporis Reipublicæ, aut certæ partis, ad aliquid deliberandum decernendumve salutis publicæ causâ instituti.* Quæ ad Generis & Differentia faciunt explicationem, jam ex præmissis satis constare autumo; hinc parcam operæ, ac ad ea, quæ reliqua esse videntur, paucissimis pedem promovebo.

§. XXV.

Seqvuntur igitur adjuncta COMITIORUM tradenda, quorum potissima sunt Locus, & Tempus. Et quoad locum præmonendum est, apud priscos Romanos non in Urbe, sed in Campo Martio COMITIA habita fuisse. Sub Cæsaribus olim frequenter in villis ac locis campestribus

551.

busesse celebrata, teste MILLERO *in Rumel. ad A. B. part. 2. dissert. 3. num. 8.* ARUM. *de COMIT. c. 4. num. 13. & c. 5. num. 20.* GOLDAST. *in Constit. Imperial. p. 115.* Et ex TAC. *de mor. Germ. c. 9. seqq.* colligere licet, veteres Germanos COMITIA quædam sua in locis sacris, qui eorum templa erant, celebrasse. In COMITIIS nostris Imperialibus loci determinatio pendet à Cæsaris arbitrio, dummodò observetur, quod debeat in Germaniâ situs esse, teste MILLER. *in Rumel. ad A. B. l. c. n. 8.* Asserit quoque LIMNÆUS *l. 4. c. 72. n. 10.* quod CAROLUS V. ad id, vi § 12. Capitulationis fuerit obstrictus, & adhuc hodiè in id jurare Imperatores teneantur; unde in R. I. Wormatiensi Anno 1525. reservatum ajunt, ut non convocentur Status ultra Augustam, nec infra Coloniâ, quod tamen GOLDASTUS ad Circulos restringit. Addit præterea quod eo sit attendendum, ut is locus non in extremis Germaniæ oris, sed vel in umbilico, vel circa eundem constituatur. Rationem verò, quare in Germania situs esse debeat Politicorum nonnulli dant illam, quod prudentiæ contrarietur, exterâs gentes maximis Principum sumptibus in COMITIIS necessario irrogandis dices facere: Et CONRINGIUS putat, *in dissert. de Comit. Imperii Romano Germanici;* Non esse è re ordinum ut à ditionibus suis longius secedant. *Tempus COMITIORUM* certò determinari non potest, generaliter tamen verum est quòd toties ordines convenire debeant, quoties Reipublicæ necessitas id postulet, & mecum hæc in parte consentit RUMEL. *ad A. B. part. 2. dissert. 3. num. 9.* & CONRING. *dissert. de Comit. Imper. Roman-German.*

§. XXVI.

Ultimò restat exhibenda COMITIORUM divisio.
F Divi-

Dividuntur verò COMITIA in *universalia*, & *particularia*,
Universalia COMITIA sunt, quæ omnium Statuum interven-
 tuperaguntur, uti describit ea *ARUM. de Comit. c. 7. n. 8.*
Particularia sunt, quæ quibusdam tantum Statuum præ-
 sentibus fiunt, vel secundum MILLER. in RUMELINUM
ad A. B. part. 2. dissert. 3. num. 24. Sunt congregatio certæ
 partis ex Imperii corpore. Quà ratione autem in sacro
 Germanorum Imperio COMITIA particularia subdivi-
 dantur, eâ de re affatim præcipiunt Juris publici Doctores,
 LIMNÆUS, REINKINGIUS, OTTO, HERMES, aliique,
 locis allegatis.

Possem hic quidem latius diragari, sed calamum
 moratur chartæ angustia, ideoque pedem hic figo, æquum
 Lectorem obnixè rogans, ut æquius de illimatis hisce pagel-
 lis judicare non gravetur; quæ gratiores forsan illi futuræ
 fuissent, à firmiori ingenio ac solidiori eruditione profe-
 ctæ. Cæterum TIBI MI JESU, pro concessa hætenus
 ad hoc cè opusculum meum largò cum fœnore Tuâ gratiâ,
 gratias quoque habeo tantas, quantæ ab homine
 proficisci possunt.

SOLI DEO GLORIA.





U Sum multiplicem Regno Comitata præstant,
 Res sine Consilio publica stare nequit.
 Consilium melius, quam per Comitata nunquam
 Prodest: Prudentes hic bona quæque ferunt.
 Consilio floret, sine eo Respublica langvet,
 Nobile Consilium semper habetur opus.
 Nobile Consilii studium conamine docto
 Nunc colis, ut Patriæ commoda multa feras.
 Hoc precor, ut prodesse queas sic pluribus olim,
 Quo TUA Consilio surgat ad astra DOMUS!

Johannes Deutschmann/D.

p.t. Acad. R E C T O R.

Ad Generosum & tam gente, quam mente Nobilissimum,

**DN. GEORGIUM RUDOLPHUM à Selmnitz/
 Equitem Thuringum.**

*Amicum & Fautorem plurimum honorandum,
 publice de COMITIIS,
 DISPUTANTEM.*

FELICES Juvenes, quibus est SAPIENTIA meta
 A teneris annis, auro pretiosior omni.
 Hæc est, quæ veros dat NOBILITATIS(*) honores,
 Hæc est, quæ ditat, Gazis beat atque bonorum
 Thesauris, nunquam perituris divitiisque(*)
 Hæc justos reddit, prudentes atque beatos,
 Formoso vultu præstantior atque colore.
 Consulit, informat, firmat, solatur, honorat,
 Et cujus vera est ac intemerata Voluptas.(*)
 Conciliatque Dei Patriæque hominumque favorem.
 Hanc JUVENIS multum Generose amplectere Sponsam,
 Cum sis formosâ facie ipsa ac Indole natus.(*)

*Sapient. c. 8.
 Sie ist herrliches Adels.
 (*) Was ist reicher denn die Weisheit die alles schafft.
 (*) Luth. Welche ihre Freunde sind haben keine Wollust.*

(*) Verba Salomonis.

F

Nec




Et famam accipies vel gratam posteritati.
Nec finem capient & NOBILITATIS honores.

Ich war ein Kind
guter Art und habe
bekommen eine feine Seele.


Gratulabund. scribeb.

Werner Theodorus Martini, J. U. D. P. P.
Ser. El. Saxon. Consiliar. & Consist. Eccle-
siast. Adfessor.



Materiam sumis tractandam viribus æquam,
Hinc Te laudabit splendida Nobilitas.
Pergas ulterius, quò virtus fervida ducit:
In via virtuti nam via nulla datur.


Michaël Fridericus Ledererus, U. J. D. & P. P.



Fortes creantur fortibus,
Commune verbum; En efficit
Fortesq; disputatio,
Est instituta si bene.
Ad veritatis trametem.
Ergò Tibi quòd gratuler
Hanc disputatio facit.
Tu perge verum fortiter
Defende; sic fortis clues.

*Ita Nobilissimo DN. RESPONDENTI, de specimine Præ-
clarissimæ Scientiæ ac eruditionis gratulatur*

Conradus Victor Schneider, Serenis. Ele-
ctor. Saxon. &c. Med., Prof. Publ. &c.



Tuos Imperii Comiticia publica fines
Præstant, atque procul multa periclâ movent.
Id Tu proponis, SELMNITZ GENEROSE, Lycéo
Nostro, dum scandis palpita docta Sophûm,
Sic Fratrem sequeris, Ludos qui nuper equestres
Defendit, magnâ non sine laude sui.

Sic

585.
Sic etiam duplicas Illustri gaudia PATRI,
Dum Fratrem haud quaquam vis minor esse Tuū.

Michael VVendelerus, Philosoph.
ac SS. Theol. Doctor, Facult. Theol. Assessor,
Theol. P. P. Extraordinarius, ac Moral. Philos.
P. P. Ordinarius.

☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞
Qui sint Imperii Conventus, quæq; Potestas,
Ac Cujus, socios ritè vocare Patres,
SELMNIZI, ut studio, sic priscò Nobilis ortu,
Contendis doctis enucleare modis.
Ne FRATRI cedas generoso nempe labore,
Totus in exemplum Fratris abire studeas.
Hæc verè debet Virtus atque Æmula dici,
Hæc meritis confert amplificatq; decus.
Nec dubium, quin, quod parili conamine cœptum,
Successus etiam possit habere pares.

*Generoso ac Nobiliss. DN. à SELMNIZ, de publico egré-
giæ Eruditionis specimine Imq; gratulatur*

Balthasar Stolberg / Græcar. Literar.
Profess. Publ.

☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞ ☞

Generosissimo ac Nobilissimo Juveni,

DN. GEORGIO RUDOLPHO à Selmniz /
Eqviti Thuringo, salutem !

Magna magnos decent, & proprium id fortuna magna habet, late-
re non potest. Quamvis enim ea intra limen & velum quasi suam
velit continere vim; sic regi tamen haud potest, ut non erumpat in fa-
mam & opinionem contrahat optimam. Hæc equidem in mentem
mihi venere, Generosissime SELMNIZI, cum ad me inviseres nuper, &
de Comitibus Te disceptando verba facturum in publicum, annuncia-
res. Est equidem illud argumentum satis dignum, quò indolis excel-
lentis Tuæ vim probes omnibus ac monstres: Quæ sicut delitescere
diutius ac retineri non poterat: ita in eam doctrinæ partem generoso
impetu prorumpibat meritò quam profuturam sibi olim haud vanè

F 3

spera.

Spérabat. Enimverò ominari inde haud frustra licebat, Te impositis Imperii rebus magnis diebus olim affuturum & delectis equestris ordinis, penes quos in Comitibus curiæ consultatio est, caput daturum, certè in iis patriæ salutem nobilem promoturum. Nam & quicquid in moribus rectum ac probandum maximè est, illud arripuisti ac induisti animo. Quo fit, ut favorem merearis omnium, plurimum & amorem concilies Tibi optatissimum. Perge strenuè cœpta Generosissime Juvenis, perge & ad id virtutis fastigium contende, in quo Illustris Parens Tuus jam eminent. Ita enim Princeps in Te inveniet regiminis adiutorem, Patria solatium, gaudium Illustris Parentes & omnes boni, justitiæ sacerdotem. Ipse immortale nominis decus mereberis inde ac reportabis. Quæ in universum omnia uti virtus Tua implebit magnificè; ita ut felicissimus eadem perficias, ex animo apprecor. Deus Te servet!

*Dabam ex meo Muséo
die 8. Mart. 1671.*

D. Godofredus Strauß/ Curia Elect.
Witteb. & Consist. Eccles. ibid. Ad-
voc. Ordinarius.



Ad Generosum atq; Nobilissimum

DN. GEORGIUM RUDOLPHUM à Selmniz/
Amicum suum faventissimum, honoratissimum,
*Cum fraterna feliciter amularetur Torneamenta
acclamo.*

Franciscus Henricus Hoeltich, J. U. L.

Salvam Rempubliam, si sint COMITIA salva!
Sillis consilium, Majestas, omnia tandem
Ad sunt: quæ caræ pacis, quæ tempora belli,
In rectum forment. Informas utraq; rectè
SELMNIZI, dum Concilii das jura, modumq;
Ingenio magno: PATRIÆ simili sed amore.
Salvam Rempubliam dum GENS SELMNIZIA salva!

Emi-

EMicat antè alios per facta illustria sanguis
SELMNITIUS, laudemq; suo non degener ortu
 Accumulat laudi, famam cum sanguine miscet,
 Et nunc per *Fratri* conamina vivida virtus
 Corda movet, Magno multum lætante **PARENTE**.
 Maeste Tuo, Generoso incoctum pectus honesto
 Munere, quod natura Tibi tam divite cornu
 Contulit, ac Patriam per mille pericula serva,
 Principibus peramate Viris, venerandus ab Aula.
 Sic animi vigor, Generosi candida virtus
 Pectoris, & Germana fides, Pietasq; meretur.
 Nos Tibi de tanto læti gratamur honores
 Proventu, Patriæq; Tuæ, Summoq; **PARENTI**,
 Nobile par **FRATRUM**, nostri ingens gloria Pindi,
 Ac benè labentes annos culmenq; precamur.

Generosissimo Disputationis AUCTORI f.

P R Æ S E S.



Celebritati natus es: testes ejus
Stirpisq; avitæ! Gloria **PATRISQVE ILLUSTRIS**
 Nomen, quod in Regionibus celebratur
 Multis, EUMQVE prædicare jam certant,
Viribus & altis & potens Consiliis est.
Felix Ego ILLUSTREM instruens, **SUMMI STIRPEM**
Generose SELMNITZ, maeste, maeste virtute
 Excelsioris Ingeni atqve facundo
 Sermone solvens ora, quicquid ad *Rerum*
 Facit decorum, Regulamq; præscribit
 Ordinis habendi, dicta Regis cum factis
 Regit, instruitq; differe acer, invictus
 Centum Palmas aufer, & pias Laudes.


Ita

GENEROSISSIMO CONTUBERNALI, DN. GEOR-
GIO RUDOLPHO à SELMNITZ, de
haud vulgari eruditionis specimine gratulatur
Albertus Fridericus à Syborg/
Jurium Cultor.

558
Flos juvenum, nostri SELMNITZ, nova gloria Pindi,
 Quiq; decus priscae nobilitatis habes,
 Ingenii dum culta tui monumenta repandis,
 Ipsa tibi pretium fama perennis erit.
 Sic, Patriae, spes magna tua, Magniq; Parenti,
 Delicium, Patriae commoda multa feras!

*Exoptatissimo suo Oresti
 deproperab.*


Diettericus Schicke, Eqv. Mis.



En Demant strahlt hervor/
 Und zeigt seinen Schein,
 Die Flamme steigt empor/
 Und kan nicht dunkel seyn.
 Ein Edler Geist kan nicht / in finst'rer Seel' liegen,
 Daß zeigt deine Schrift / drum wirstu einst kriegen
 Der Tugend Lohn.
 Der Ehren-Kranz bleibt dir von Pallas Hand gewunden/
 Der nur von Fleißigen durch Arbeit wird gefunden.

*Aus obliegenden Freundschafts-Pflichte schrieb
 dieses glückwünschend*

Otto Carl von Thümmel.



Congratulari nos oportet de tuis
 Conatibus; namq; interest multum tuam
 Nostraq;, ne, commilito svavissime,
 Suscepta res geratur absqve gloria.
 Nam quod tuum das specimen profectuum,
 Id arguet, quae praestiturus commoda
 Sis patriae olim patriaeq; Principi.
 Nec parva de te spes Patris pendet tui

Ex

559
Ex hoc labore. Siq; res feliciter
Succedat; & quis ambigat de laurea:
Multi tuorum maximum promittimus
Nobis amicum. Hoc ut ratum faustumq; sit,
Exopto, quantâ has condidisti paginas
Industriâ, ut tantâ tueri gloriâ
Scias eadem. Amici, amico plaudite.

Christianus Conradus à Schlotheim/
Eqves Thuringus.

S Temmata quem radiant, & nomina magna coronant;
S Majorum celebrat Phœbus, non fenerat umbra
Ad præcelsa viam, sed publica semita, lux est.
Hinc magni cursus, certamina. Circulus æstûs
Pulvere perspergit metas, stadiumq;. Nitescit
Tunc studiis Helicon, nitet æmula cura: Camœnis
Verus honos, stimulat pugna contentio mentem.
Aurea tunc ætas messis fecunda brâbiis,
Aula sinum pandit, Fortunam Fata serenant.
Gratulor ergo Tibi, similes qui suscipis ausus.
Remigium felix, ad Famam vela secunda
Apprecor ex animô. Te servet Olympus in annos.

*Generoso, inter dilectos Amico, debitum testatur
affectum*

Casimirus ab Osten, Eqv. Pom.

SO strebe dein kluger Geist /
Mein Freund nach hohen Sachen /
Wie sichs aniso weist:
Was Du durch vieles Wachen

S

Und

247K 4752

Vnd Fleiß erlernet hast/
Das wird die Nach-Welt Dir
In Marmor eingefast
Einst stecken auff zur Zier.

Mit diesen wenigen/ wolte sein Schul-
digkeit abstaten/

Moriz Heinrich von Miltsch.



1077

510

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta		Dark Grey	

Handwritten notes and faint bleed-through text on aged paper:

Handwritten: 17.11.18, 18.11.18

Faint bleed-through text (mirrored):
 GEORGIUS R.
 AUCT.
 IN RECTA
 AUCT.
 IN RECTA
 AUCT.
 IN RECTA

